Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26345
Copyright: Admont, Benediktinerstift



de tali sunt panno qualis in hac prouincia inuenitur. qui tamen non sit
agnini uelleris vel alius preciose estimationis. Si quando tale quod
comparauerit vel uendiderit camerarius negociatione sua ex
toto peracta mercatori cum quo negociatus est secundum quod negocium est
et persona. aliquantos adhuc reddit sua sponte denarios propter
illud s. Benedicti precipientis. ut res nostra semper uendatur uilis
quam aliquis hominum. Quotiens loquimur in claustro ipse vel aduitor
eius qui clauem camere portat. numquam deest. Tunc enim auditurus
est a singulis. quid ille aut quid ille opus habeat. Quod aliquotiens ne
glexerit. inclamatur. Ea tamen uice alter eque stat ante camera
dans quae danda sunt. ut fratres hora qua silendum est loqui necesse non ha
beant. Interdum autem potest euenire. ut aliquis vel temporis breui
tate vel alia impeditus necessitate. si quid necesse habet non possit
exquirere. cui soli quod uult signis innotescere non ualenti. om
nino non est interdictum quin permissu camerarii tempore oportuno
camera ingrediatur. et breuiter necessaria dum taxat loquatur. si
tamen necessitas imminens usque ad proximum tempus loquendi non
potest differri. fratrum cuius pellicium vel stamineum. ita
sunt rupta. ut adhuc ualeant resarciri. diluculo ponit ea in
locum ad hoc deputatum. et ueniens aduitor camerarii portat
foras ad sartores. Post uesperas autem reportans reponit in eundem
locum. ut abeo ad quem pertinent recipiantur. Vbi sciendum est quod tam
in xii vel quam in priuatis diebus quecumque ibi posita sunt etiam si non resarci
antur. ante collatum recipi debent. Si autem aliquando contingit. ut ab
aliquo negligatur. post complum in transitu potest recipere. dum modo se
quentibus illum moram non faciat. Qui uero per se ipsum quod de uestimentis
suis lauerit. et in claustro super funiculum suspenderit. ante
collatum vel si in crastino sunt xii vel. ante uesperam auferre meminerit frocum